

M I M

1 6 4 8



~~C. 6. 5~~  
Ll, 2, 3.

30 B 10.

In usum Pedagogii  
Regii Glaucensis

**H Y M E N Æ U S**

VOTIVUS,

Castis amoribus & solennibus nuptiarum honoribus

VIRI

*Prudentia insignis, virtutis eximia, doctrineq; & dignationis precipue laudibus florentissimi*

DN.

**JACOBI FLEMINGII**

in Republ. Gubinenſi Senatoris digniſſimi,

SPONSI,

*Cum*

Lectiſſima omnigenarumq; virtutum ornamentis  
conſpicuâ VIRGINE

**MARGARETA SCHAUMIA,**

*Integerrimi & Spectabilis*

VIRI

Dn. JOACHIMI SCHAUMII,

Negotiatoris & Civis quondam Reipubl. Francofurtensis primarij,

*relictâ filiâ,*

SPONSA,

Ad VII. Idus Jul. Anno 1641.

GUBENÆ celebrandis,

*fausto omine ac nomine*

a

Fautoribus & Amicis consecratus.

*Frankofurti typis Michaëlis Kochii.*

init:  
ori,  
lacco-  
Vovendum  
RATA.

meo  
amer/  
ch:

noqs  
mutum



**F** Unera deflētī dilectæ Conjugis; Ergo  
Altera sit felix MARGARIS illa tibi.  
Ambo calete paritædâ feliciter, ambo  
Conjugij faustè fœdus inite, precor.  
Vos DEUS & concors animi sententia junxit,  
Vos regat & longâ prosperitate beet.  
Vos quoq; prole beet multâ pietatis amante,  
Vos faciat natos connumerare senes.  
Nulla lares unquam vestros perturbet Erynnis,  
Asmodi Raphael lora per ora trahat.  
Vivite concordēs, sit mutuus ardor amoris,  
Quo nihil hunc possit dissociare thorum.  
Hæc DEUS, ut fiant, qui regnas TRINUS & UNUS,  
Efficce, sic tædis vota precesq; damus.

Christianus Carpzovius U. J. D.  
& Pandectar. Professor Publ.  
in Electorali Academ.  
Oderana.

**T** Anta Gubenatum succendit FLAMMA medullas,  
Quantam nec toto flumine, Nisse, riges.  
Transcendit montes nemorumq; cacumina latè,  
Donec SPUMANTEM corripiat Viadrum.  
Hic se restingui patitur, cessimq; madori  
Virgineo FLAMMA hac dat superata manus.

Ergo

Ergo Viadrinas, Nissæis, viribus, ante  
cellere Najadibus, quis dubitare velit!  
Id SPONSO dic SPONSA Tuo, & restinguito flammam,  
In Viadrum Nissus dum celer amne fluit.

Tobias Magirus Phil. Fac.  
Decanus.

**Q**uod circa longos, FLEMINGI, Nymphæ soles  
Incidit in casses; SPONSA cupita tuos,  
Omen inesse reor. Scrutator es ætheris ipse,  
Meq; Tibi astrorum nota silente via est.  
Pauca tamen moneo, Ceu Sol opera omnia lustrat  
Flammeus; & vobis fervidus adsit amor.  
Ut Titana suum fulgentia sidera norunt:  
Sic tua te noscat, suspiciatq; Venus.  
Mille velut spargit soboles Hyperionis ignes;  
Augescat multa sic tua prole domus.  
Deniq; tot numeres faustas cum Compare luces,  
Quot Phœbi supero lampas ab axe jacit.  
Plura canant plures; tibi sufficit hisce fruisi,  
Reddere quæ potis est Rexq; Paterq; DEUS.

*In singularis amicitia indicinam*

f.

Johannes Sturmius

ὁ οὐνεγὸς Ecclesiæ  
Gubinenfis.

**P**ars etiam vitæ votis optanda beatæ  
Non-tristis Vati dicitur esse torus.  
Bilbilico quicquam si fas est credere Vati.  
Parte sed hac Vati non adimenda fides.  
Prosperitas senio est omnis sine Coniuge bellâ:  
Qui cum diuisus nomen inane dolor.  
Hæc tua, FLEMINGI Vir spectatissime, mens est,  
Qui viduertatis ponere quaris onus,  
Defletamq; satis thalami sarcire ruinam,  
Cum prior Elysiæ uxor adiret agros,  
O minor haut-tristem thalamum speroq; secundum,  
Incipit auspicijs qui satis ire bonis.  
Consilijs Gubena tuis ut curia alescit:  
Conjugis augebit sic pia cura larem.  
Qua tenero sic est educta pudenter ab unguvi,  
Ut seruare probè nôrit ametq; domi.  
Quid genus egregium memorè, quid nomen avorum?  
Qui gessere olim non mediocri decus.  
Quæis bene Consulibus dives florebat abunde,  
Urbs à Francorum nomen adeptæ vado:  
Nunc flore extincto fœdata cadaueris instar,  
Non Moderatorum, temporis at vitio.  
SCHAUMIUS & SANDREUTERUS, duo clara Senatûs  
Lamina, quos letho Mors neq; dira dedit,  
Vivunt,

*Vivunt, extento viventq; perenniter ævo,  
Odera dum vitreas volvet amœnus aquas.  
Stirpibus exiliens Tua surculus hisce tenellus  
Sponsa, decus generis servat honesta sui.  
Tendere cum nôris curvum feliciter arcum,  
Hic precor ut frustra netibi nervus eat.  
Si rectum facies, & si dominabere, eris Rex,  
Pone metum, Rex es, rectum agis atq; regis.  
Pace domus vigeat jugi, sit copia rerum,  
Et decoret soboles lata frequensq; torum!*

gratulab. scrib.

M. Joannes Mollerus  
Sch. Francof. Rector.

**A**bsit à Vobis, quod abesse voltis:  
Adsit at Vobis, quod adesse voltis:  
Adsit &, quam voltis adesse, nempè  
Gratia Jovæ.

Absit is, qui semper adesse flagrat;  
Nempè frendentis Phlegethontis hostis:  
Absit, ut Vos semper adesse Vobis  
Ritè queatis.

Absit hic hostis, precor: Adsit ille  
Hospes æternus, precor, usq; Vobis.  
Adsit hic Vobis benedictione  
Atq; favore.

Joan: Grebitzius Pastor  
in Willendorff.

**A**stus erat, medioq; polo Phaëthontius Æthon  
Traxerat ignitas, ad juga summa, rotas.  
Forte sopor tepidis involvens brachia membris,  
Corpora fessa thoro consepelire parat.

Exuo metricis, & vincula lenta veterni

Protero; nox oculos insidiosa fugit.

Ilicet egredior, quâ sylva Smaragdina crines  
Explicat umbrosos; quâ levis aura volat.

Deliciantur aves hilari per amena volatu,  
Ingeminant gracili gutture dulce melos.

Me nemus ex passum latè frondentibus ulnis

Allicit, intonsam quercus opacat humum.

Subsedisse juvat, juvat indulgere quieti,

Æstatisq; minas frangere fronde juvat,

Vix capit ossa quies, mæror nigrantibus alis

Advolat, ac tristi corda dolore fodit.

Volvo revolve meas, tacito sub pectore, sortes,

Quas fera, nimbo turbine, fata rotant.

Mens stupefacta gemit! singultibus ora fathiscunt!

Exsecror obtutus, gens malè grata, tuos!

Protinus ecce venit lascivo Cypria gressu,

Floribus Idaliae frondis amicta caput,

Suavis in ore vigor, nitidi diffusa capilli

Pompa fluit, radios Phœbe imitata tuos;

Frons



*Frons super humanos micat exporrecta nitores,  
Fulgurat ex oculis, Dadala flamma, vagis;  
Purpura lata genas, niveo sublacte, colorat,  
Labraq; puniceo tincta madore rubent;  
Ambrosia stactaq; vapor loca frondes complet,  
Quicquid & Assyrius fundit odoris ager.  
Egelidus tremor ossa quatit! Mox illa timendi  
Causa, ait, omnis abest, pectora solve metu.  
Pone minas tetricas, ac tedia torva Lycæi,  
Atq; supercilij disjice triste chaos.  
Lux genialis adest, Hymeneia gaudia letis  
Quæ vehit auspiciis, lux genialis adest.  
Ergo hederâ redimito caput, perge ocyus, umbras  
Linque, thori socijs, pange melisma, novis.  
Hactenus in viduo distendit frigida lecto  
Membra, Decus patriæ, Pieridumq; decus.  
Solstitium nunc dulce redit, nunc Ætna medullas  
Urit, & Alpinas excutit inde nives.  
Hinc decet in letos, animare poemata, plausus,  
Annuet inceptis, ipse Apollo, tuis.  
Sollicitare meas, rehero, Dea desine, Musas,  
Me jubet Aonijs, angor abesse, jugis.  
Nil mihi de veteri superest Helicone liquoris,  
In fletus abeunt Bellerophontis aquæ.*

*Rumpe*

*Æthon  
rotas.  
membris,  
t.*

*U.*

*s,*

*scunt!*

*Frons*

Rumpe moras, Dea sava refert, ego verba praibo  
Talia, tu calamo suscipe, rumpe moras:  
O super Attalicas, felicia pectora, sortes!  
O super Aetnaeos, fervida corda, focos!  
Quàm dulcis calor ossa coquit! quàm grata cupido  
Sensa trahit! quanto flagrat ab igne jecur!  
Jam nihil est vobis, quicquid legit India rubro  
Gurgite, felici gramine quicquid Arabs.  
Mensa Syracusio, nihil est instructa, paratu,  
Sunt mera Nectareo mista sapore nihil.  
Corpora mellita saliant pruriginis aestu,  
Nocturnasq; jacent, vultus uterq; minas.  
Dicite io Paan! iam plaustra micantia gemmis  
Mergit in Hesperias, Phæbus anhelus, aquas.  
Cynthia monstrat iter, quod gens Cytherëia densis  
Obsides agminibus, quodq; Hymeneus amat.  
Spargit odoratos nemorum, Zephyritis, honores,  
Qua patet ad niveum, semita grata, thorum,  
Juno parat lectum, substernit molliter alas  
Pusio, qui Paphio Nectare cuncta rigat.  
Par felix! nunc ire licet, mora segnis abesto,  
Virgo it, ne redeat virgo, Marite cave.  
O super innumeras nox felicissima noctes,  
Quâ datur Ambrosio pascere labra favo!

Somnus

*Somnus abit, metuens onerare amplexibus atris  
Corpora, nexilibus congeminata plicis.  
Lasciva sat agunt ambo contendere viti,  
Qua se vicinis implicat arboribus.  
Purpureum thalamo posuit nova nupta pudorem;  
Quam cupit in gremio, Sponse, cubare tuo!  
Labraq; mellifluis, conchatim innectere, labris,  
Et reliquas Veneris multiplicare vices!  
Oscula, vel quicquid superest post oscula dulce,  
Jam toto fas est reddere, Sponse, sinu.  
Vivite felices, suavem exercere palastram  
Pergite, luctantes viva brabea manent.  
Hec Dea fata fugit, spirant vestigia nardum,  
Et fluor atrato deficit in calamo.*

Nicolaus Vogelhaupt  
Schol. Gub. R.

M U N U S

GRAMMATIO-ÆNIGMATICUM.

**F**Ulva ferant alij Conviva munera tedis,  
SPONSE, tuis: quâs se magni matrona Tonantis  
Propitiam præbet: quorum auricoloribus undis  
Jugera Pæctolus lambit, vel Thracius Hebrus:  
Vel quorum assiduo signandi incudibus auri  
Personat alta domus crepitu, cistâsve rotunda

B

Rum.

Somnus

Rumpunt bracteolæ confertâ mole superbas.

Nil ego, Grammaticis quia denegat aspera censum  
JUNO, nec extremi licet aurea tangere Gangis  
Flumina: sed vacuas obretit aranea peras,  
Nil ego tale fero; mihi sunt discrimina vocum,  
Flexus, junctura, accentus, & tempora cura.  
His animus studijs à primo limine vitæ  
Quarere gaudet opes, non quas vertigine cæca  
Alternat fortuna in possessoribus, & quas  
Depascit ferrugo; rapit peregrina latronum  
Turba; tumefacti vorat inclementia Ponti;  
In cineresq; leves vertit Vulcanius ardor:  
Sed Dominum proprias, dubiaq; volumina sortis  
Non formidantes, alijs nec casibus unquam  
Expositas: possessores volitare per ora  
Quæ faciunt hominum, postq; ipsam vivere mortem.  
Ex hoc thesauro tibi, SPONSE POLITE, tuæq;  
SPONSÆ, dona fero, junctas tres ordine voces:  
Quarum ambage tegam nodosâ nomina: si quis  
Nôsse cupit sensum, vel voces, Oedipus esto.  
Literulis constat quatuor vox prima Latinis:  
Una brevis duplici vocali Syllaba habetur:  
Altera corripitur, si consona nulla sequatur:  
Eleditur, ut Dominus, funditq; vocabula de se  
Paucâ,

*Pauca, nec ex quoquam quit derivarier ipsum.*

*Adde quod est generis, cui de mare docta vocamen  
Turba dedit, nec diversis ex partibus apta.*

*Quam do, Grammaticis vox dicitur altera verbū,  
Cujus caelesti in verbo usurpata frequenter  
Est interpretibus: sed vix scriptoribus illis  
Qui purè satagunt fari, passiva probatur  
Forma: modi est, cui cognomen conjunctio fecit.*

*Hic tamen optandi potius vim sustinet. Audi  
Porro; nec est prima, nec quæ huic vicina, secunda  
Persona: numeri est, positum cui nomen ab uno.*

*Flectitur ut vivo, si res perfecta notatur:*

*Ad paradigma lego finguntur cætera rite*

*Tempora: compositas meritò numeraveris inter  
Voces: corripitur, quæ prima est, Syllaba, nec non*

*Proxima: post sequitur, quæ producenda vetustis*

*Exemplis vatam: superest, quæ corripienda,*

*Impediat vocis nî consona prima sequentis.*

*Subjicitur verbo doni vox tertia, constans*

*Quinq; notis, pueri Pronomen nomine dicunt:*

*Personam semper monstrat prolata secundam:*

*Est omnis generis, numeri pluralis, & ejus*

*Casus, qui posito à dando cognomine gaudet.*

*Si dederit, vestros qui concilia vit amores,*

Et dare cuncta potest solus, solusq; gubernat,  
Quod tribus optavi verbis: dextro alite vestri  
Surget opus thalami: vertet feliciter omnis  
Actio: certabit gravibus nova vitibus uxor  
Emula, delicias ad vestram ut plurima mensam  
Pignora spectetis: grato vos copia rerum  
Dives inundabit fluxu, quas flagitat usus:  
Fugera centuplices magno cum fœnore fruges  
Gignent, Et pingues quater ad mulctralia vacca  
Quoq; die venient: plenis vindemia labris  
Spumabit: prœgnans erit omnis fatibus arbor.  
Turbida nec socium turbabunt iurgia lectum,  
Integra nec pallens tentabit corpora morbus,  
Nec quicquam adversi domui vestrae accidet unquam:  
Donec in ætheriam vos ad se transferat aulam  
E mundo post fata, piis qui regna paravit  
Calica ab æterno, nulliq; obnoxia fini.

Ἐὶς νεογάμοις.

Fausta Congratulationis ergo  
oblatum

a

Caspere Langhansio  
Schol. Gubinenf.  
ConR.

Munus

**Munus nuptiale oblatum**

hoc tetraſticho.

**Q**uando me **DEUS** & morbus vetuere venire:  
Hoc pro me munus mittere collibuit.  
Pauperis eni munus neu despice, Sponse, pecull.  
Sic tibi, sic Sponsæ, prospera quæq; fluant.

Schaumiaca quamvis  
languida Musa.

**Q**uid populi plausus per compita denotat ingens?  
Et cur letitia publica signa sonant?  
Si queris, dicam: Illuxit lux candida, Sponsam  
Quâ sibi **FLEMINGUS** jungit amore novam.  
Sponsam quam pietas decorat, quam forma pudorq;  
Laudant, quæ verâ simplicitate bona est.  
Quæ scit curarum molem lenire mariti,  
Quæq; ministranda ritè perita domus.  
Conjux ( crede mihi ) talis non jungitur omni,  
Sed modò qui Domini jussa timore colit.  
Ergo tuo lateri cum Sponsam adjungat **JOVA**,  
Quæ pia, quæ casta est, quæq; pudore viget,  
Te meritò dicas ex omni parte beatum,  
Et certò statuas te placuisse **DEO**.  
Dilige nunc Sponsam, cultissime Sponse, venustam,  
Tuq; piùm Sponsum, dilige Sponsa, tuum.

B 3

Ipsè

*Ipsē DEUS, casti qui Princeps autor amoris,  
Ac qui vult SPONSIS semper adesse pijs.  
Is vobis adsit, thalami fœdusq; secundet,  
Decedat quævis res onerosa toro.  
Plura loquar paucis: quot voluit Nissus arenas,  
Tot vobis imo pectore fausta precor.*

Gratulabundo animo &  
calamo

scribebat

Fridericus Baudach.

Πρὸς τὰς Σουθονίους  
γαμηλίας.

**Α**ἰδορες σβασι, ἔσπερε,  
πέλησι ἢ ῥά βέλτερον,  
χίρας μετ', ἢ κορυκίς  
λέκτρα ὑπέχεοθ' ὄρμον;  
Οὐκ οἶομαι ἀνὴρ γαμῶν  
γυαῖνα ὄντως πολλαίς  
λυπεῖν, ἔχει τε καὶ κόπον  
διπλῆν ἀναγκαῖον φέρειν.

Πρώτως ἐκείνης τεθνεώ  
ἦθι ἀκοίτη πανταλῶς  
ἀφερέην, εὖ ὑπερον  
αὐτῶ ἐξίξεν χερὶ ἔα.  
Τῆ' ἀλλὰ τ' αὐτὸς δυσκόλως  
διωθήσεται ἀνυοσέμν,  
εἰ μὴ ἀόκνως πληγάνοις  
χεῖται, ὅτ' ὄσι χέτλιον.

Κόβω



κόρην ἢ λαμβάνων αἰεὶ  
εὐφραίνειται, ὅτ' ἔδαμῃ  
ἔχθ' ἰνὸν πόνωσ καὶ κήδεα,  
κείνης χάριν καλεῖσθεται.

Ἔσ' εὐμαθῆσ, σπαρδασικῆ  
οἴκσ διοικήσει εἰς  
αὐτῶ κ' ἀκούσθ' ἤθεα  
οἱ ἐπιπύσασ τῶ χροῶσ.

Τῶσ φάσσω, ἐμυθρ βέλιον,  
νεᾶνιν ἢ χήραν γαμῆιν.  
ᾧδ' αὐτὸ μὴ νομίζεσ,  
ἄνδρες σεβαστοῖ; ἔσπεσε.

\* \* \* \* \*

AD DN. SPONSUM.

**J** Am jam latisonis Phosphorus intonat

Ex alto modulis, tristia, dic, petat

Ecquis? ludicrepis cur

Adsit Nani & barbitis?

Si motus alacres secula jam cient

Bruta, & concipiunt pectore flammulas,

Cur non gaudia mente,

Quid? flammam homo colligat?

FLEMINGI, benè agis, dum lacrymas graves

Cælesti cythara Cynthius amovet,

Vultum fronte serenat,

Flammam arripiens novam.

His prolem cupidè consimilem Tibi

Gignes, quæ simitu sanguinis ordinem

Æternare juvabit;

Hinc gratus Superis eris.

Flam-

Flamma, Sponse, cales queis, speciosa  
Sunt Nympha, pietas, juncta modestia  
Morum, cui pudor atque  
Dotes contribuunt suas.

Devincit reliquas Hacce Viragines,  
Inter fama chorum splendida virginum;  
Margritis pretiosis  
Hinc sit charior Hac Tibi.

Hac flammam minuet, crede, Cupidinis,  
Hac tristi stimulos pectore detrahet  
Curarum, vaga seva  
Quando fulminat ore Sors.

Iccircò thalamum gratulor hunc Tibi:  
Duret flamma diu! cornua post novem  
Luna Nympha labores  
Lucina toleret tua!

\* \* \* \* \*  
An die Ehr- und Viel Zugendreiche  
Jungfrau Braut.

1.  
**W**ies was uns kan behagen  
Und zur Freude dienlich seyn/  
Stellet die Natur jetzt ein:  
Drumb wer wolt' in diesen Tagen/  
Jungfrau Braut/ in Traurigkeit  
Enden seine junge Zeit?

Opis

2.  
Opis bringet Laub den Wäldern  
Durch den warmen Sonnenschein;  
Flora reichet Blümelein  
Allen Menschen auff den Feldern:  
Ey wer wolt' in Trarigkeit  
Enden seine junge Zeit?

3.  
Wer jetzt gehet auß spazieren/  
Höret da die Nachtigall  
Mit sehr angenehmen Schall  
In den Sträuchern musiciren:  
Drumb wer wolt' in Trarigkeit  
Enden seine junge Zeit?

4.  
Alle Nymphen an den Daellen  
Schmecken jetzt die Liebes Kost;  
Ino fühlet süsse Lust  
Wo die Fischer Netze stellen:  
Ach! Wer wolt' in Trarigkeit  
Enden seine junge Zeit?

5.  
Jungfrau Braut / Cupido richtet  
Seinen Pfeil jetzt nach Euch hin /  
Wil erweichen ewren Sinn /

¶

Drumb

Drumb Er blinde Frewd' ertichtet:  
Wollet Ihr in Trawrigkeit  
Enden ewre junge Zeit?

6.

Wollet Ihr/ es muß geschehen/  
Kewen wird es Euch gar sehr/  
Schaden tausentmahl noch mehr/  
Gleubet mir/ Ihr werdet's sehen:  
Endet drumb in Trawrigkeit  
Ja nicht ewre junge Zeit.

7.

Lasset nur Cupido wancken/  
Last in einem Liebesstand  
Euch gar nah' Jhn seyn verwandt:  
Also werdet nach Gedancen  
Ihr gar nicht in Trawrigkeit  
Enden ewre junge Zeit.

8.

Lasset ons nur bald entdecken/  
Was doch Amor in der Brunst  
Nach des höchsten Gottes Günst  
Euch für neues konn' erwecken:  
Endet nicht in Trawrigkeit  
Ewre zarte junge Zeit.

Macht/

9.  
Macht/ damit Ihr bald anblicket  
Ein gar schönes Knäbelein/  
Oder zartes Mägdelein:  
Also werdet Ihr erquicket/  
Endet nicht in Traurigkeit  
Eure zarte junge Zeit.

Johannes Balkar Junior,  
n. t. Juniorum Ludovicorum  
Lagoviz Ephorus.

**N**ubila tristitia magna plerumq; sequuntur  
Jubila magna, vijs bis placet ire DEO:  
Triste Tuæ funus flevisi, Sponse, Marita  
Sat, qua cœlituum est consociata choris;  
Sat gustata TIBI vidua sunt pocula vita  
Atq; domus mortem luxit amanter Hera:  
Jam jam lugubres lachrymis depone repentes  
Vestes, & sparsas collige, Sponse, comas;  
Quippè optata Tibi lux nunc mi Sponse refulsit  
Candide, quâ possis scandere fulcra thori.  
O ter leta dies niveis signanda lapillis,  
Quâ jam jungenda est Virgo pudica Viro!  
Gratulor ergò TIBI de tali Virgine, Sponse,  
Qua tanti Sponsi est credita digna Thoro:  
Moribus est siquidem, & jam raris dotibus aucta  
Virtutum cultu, religionè piâ:  
Hac TIBI solamen, cum fors se præbet acerbam,  
In Curis etiam dulce levamen erit;

C a

DAMNA-

Damnatas in opus famulas urgebit, iisq;  
Laudande EXEMPLUM sedulitatis erit.  
Gratulor atq; Tibi merito lectissima Virgo,  
Intras dum Sanctum non sine Lege thorum.  
Det DEUS ut Pylis vivatis Nestoris annos,  
Procreet ac vester Pignora chara thorus:  
Mutuus ut sit amor, procul hinc discedat Erinnyes,  
Intret & in vestram nulla querela Domum:  
Hocce meum est votum, hac Sponsis optanda putavi,  
CHRISTE fave, & votis pondus adesse jube.

Hæc non tam moris, honoris, quam  
fausti ominis ævæ apposuit

Joachimus Wanstorff:  
Inferiorum classium Scho-  
læ Francofurt. Præceptor.

**S**I, quæcunq; DEUS voluit, bona credimus esse,  
Ut certè bona sunt; bona sunt quoq; fœdera casti  
Conjugij, namq; hoc vitæ genus ipse J E H O V A  
Instituit primùm, sibi homulli mutua ferre  
Auxilia ut possint. Quare Clarissime SPONSE  
Recta facis, quod non dubitas iterare sacratum  
Conjugium, & sanè tali cum Virgine, castæ  
Virginitatis habet quæ laudem, quæq; vocata  
MARGRETHA est meritò, variarum laude decora  
Virtutum, ornabit quæ TE, mensamq; domumq;  
Hanc ergò thalami sociam TIBI jungere gaude:  
Lætitiâ augebit, si lætus eris, minuetq;  
Tristitiâ, si tristis eris, solamine dulci,  
Hanc ergò thalami sociam TIBI jungere gaude:

Hæc

Hæc TIBI succurret, fueris si oppressus iniquo  
Morbo, siq; senex fueris, Tua damna levabit  
Hanc ergò thalami sociam TIBI jungere gaude:  
Cum quâ perducas faustos & Nestoris annos,  
Unanimesq; dies, habeasq; ut prole repletam,  
Mensam: hæc & quæcunq; TIBI queo fausta precari,  
Toto corde precor, magnus confirmet IOVA.

*Qualia qualia hæc ὀλοψύχως apposuit*

Christianus Cretschmerus  
Schmideb. Sil.

**S** Alve, nonn' ita, dic quaeso, quod dicat Apollo,

SPONSE colende, mibi?

Cura Patris gazam presentat, at Ipse Puellam.

Cum ratione DEUS.

Nil, omneis habitu superare: timens bene JHOVAM.

Sola virago viget.

Ingenua Conjux probitatis plurimi habenda est,

Optima sirena Viri.

Usque fidem, ducens costam, Illi, fraude carentem,

Tutus habere potest.

Deserit hunc nusquam, potius complectitur ardens,

Dummodò vita datur.

Hæc semper coquitur cura, qua fert bona multa,

Non mala multa Viro.

Hæc est ut puppis, qua veclat & eminùs adfers

Commoda magna Viris.

Conjugis Hæc sanè servatrix nominis Uxor,

Vivat in orbe, facit.

Est Xenium Superi, multo non are paratur

Castia Puella Viro.

C 3

Phæbus

*Pæbus ut, acceptè splendens mortalibus axe,  
Ornat ubique solum.  
Fæmina sic, pietate & morum flore renidens,  
Ornat ubiq; domum.  
Felix, cui TALIS sit Conjux fœdere, namq;  
Dulce levamen habet.  
His decorata Bonis intrat formosula Nympha,  
Nympe decore, tua.  
Hæc etenim, vitam, virtutis laudibus ampla,  
Convenienter agit.  
Justitiam sequitur, probat haut contemnere Divos:  
Hinc pietatis amans.  
Obsistit fraudis studiosis cordis & oris,  
Quamodò vera, colit.  
Vivite uterq; diu concordés: sit sine labe,  
Non sine prole torus.*

*Petrus Ernestus Ludewig.*

**H**actenus in gemitus animum lacrymasq; dedisti,  
Jam nova, FLEMINGI, gaudia mente capis.  
Hactenus orbatus thalami consortæ fuisti,  
Jam redit in thalamum casta Puella tuum.  
Fit benè: non etenim juvat indulgere dolori,  
Nec, semper solum Christicolam esse, bonum.  
Fœdere na Sociata tori sedare dolores,  
Nec non corde Viragignere læta potest.  
Hinc medicina Viro cluet: hinc MARGARETHA Virago,  
Sponse, Tibi præfens Hæc medicamen erit.  
Fiat sic! Animi non pendeo, quin ita fiat,  
Quandoquidem clara est moribus egregijs.

*MAR-*



MARGRETHA Hæc superat longè virtutibus omnes  
Margritas, claro de genitore nata.

Hinc erit Hæc Tibi, vera Tibi, medicina parata,

Quam Tibi non Phœbus porriget arte sua.

Sit sic: Det DEUS, ut videat tua mensa tenellas

Plantas, quæis promas gaudia magna Tibi.

Vos inter vigeat Concordia; vos beet atq;

Vos vos, qui socio jungit amore tori.

Joachimus Fridericus Ludewig.

**H** Em non arma times, FLEMINGI, horrentia Martis,  
Sed thalami jam jam pacta secunda facis.

Nequaquam dubitas, nostram, Neonymphæ, bonorem

Conjugij vincolo jam sociare Tibi.

Occulti forsã miranda potentia Fati

Huc ego sic credo, Te trahit atq; rapit.

Siccine res est? Est. Ideò Tibi gratulor ore

Fausto cum Sponso, Sponse colende, tua.

Sit tua Sponsa tua portus requiesq; senectæ,

Et fons lætitiæ sit tua Sponsa tua.

Vester amor duret, duret concordia mitis:

At bic vester amor non sine messe fiet.

Vivite felices, implete cubilia prole:

Non ullus turbet gaudia vestra dolor.

Sonnet.

**W** Ist so freyer Mensch? Wo sind so kluge Sinnen?

Ja ist so vestes auch? Ja ist so hohe Kunst

Und sonst was in der Welt/ so nicht für Liebes Brunst?

Die Lieb' steigt' ober sich / erreicht die hohen Zinnen

Deß vesten Himmels/ kan auch den Phœbus gewinnen!

Und den grausamen Mars; Vulcan siht nicht so hoch!

Daß Er enstiehen könn' dem bitter-süssen Joch.

Wie |

Wie wolt Ihr werthes Paar / sagt mir / doch wol entrinnen?  
Ihr müßt nur mit Gedult der Liebe vntergeben!  
Was ewer Sinn vnd Will: Sage Mir / O du mein Liecht!  
Vnd Ihr Herr Bräutigam / ist diß ewr' Wille nicht?  
Ist euch ein rechter Ernst / so woll' Göt' langes Leben!  
Gesundheit / Fried vnd Ruh / der Kinder ohn Zahl viel  
Verleihen mildiglich. Diß Ich euch wünschen wil.

Paulus Schilling Sponsæ Frater.

1.  
Weil Herr Bräutigam nun kömen  
Ist die angenehme Zeit /  
Die ihr Euch in aller Freud  
Habt zu halten vorgenommen  
Mit der so euch vorrawt /  
Meiner Schwester / Ewer Braut.

2.  
Solt ich / Freude zu vermehren /  
Meine Seiten stimmen ein /  
Singen Euch ein Liedlein /  
Singen soll ich euch zu Ehren  
Was zu einen Ehrenstand  
Ihr euch beyde hat gewand.

3.  
Aber weil an solchen Dingen  
Ich noch vngewöhnt bin  
Vnd zu wenig ist mein Sinn /  
Darff ein solches Lied zu singen  
Ich iekund nicht heben an /  
Sondern singen was ich kan.

4.  
Will nur meine Stimme erheben  
Wünschen euch von Herze grund  
Das euch Gott frisch vnd gesund  
Woll erhalten / wolle geben  
Segen / Fried vnd Freud ohn Leid  
Endlich auch die Seligkeit.

Sixtus Fridericus Schilling /  
Sponsæ Frater, natu minor.



Carmen Elegiacum quod scripsi Joanni Baptista Gebelio  
Svidnic. Silesio Pastori Ecclae in Raciborow.

cum praedum Magistrum nancisceret Decano  
M. Theodoro Berto 17 Calend. Maij  
A. 624. aetate meae 19.

Ita bonis avibus GEBELI, quos Deus Autor,  
Cui te fata vocant, ita bonis avibus.

Magnum opus adgrederis, sed, quod tibi cine fultus  
Numinis atberei, fortiter expedies.

Ambuet orantis linguam locuplete Suada,

**SPIRITUS** Orator caelicus ille, tuam.

Seminium disperge **DEI** per cordium agellos:

Nec sine mole preces, aut sine fruge, dato.

Et vineta **DEI** assiduo accubudq; labore

Percole, quo fructus mille, supraq; ferant:

**BAPTISTAM** ex cathedra **BAPTISTA** imitare tonantem

**GEBELI!** vera pro pietate puta:

Instrue non-doctos, errantes corrige, fractos

Erige, confuta dogmata vera minus.

Sic vivente volent tecum partizier annos

Prospera dicentes quos sacra dicta feres.

Sublatisq; olim manibus, sine pondere terram

Manibus optabunt, (sed bene sero) tuis,

Cum tuba te rupta tumba revocabit ab umbris,

**IOVA**, mei pastor dicet, adesto, gregis;

Ambrosia rursus te pascam & nectare; quare

Magna cape astrati praemia, carpe, poli.

Hoc penitis animi penetrabilibus opto, precorq;

**JANE** mihi multo n nomine care! **VACE.**

ULB Halle

3

002 062 674







63

**MENÆUS**

**VOTIVUS,**  
bus & solennibus nuptia-  
um honoribus

**VIRI**  
*virtutis eximia, doctrineq; & di-*  
*scipue laudibus florentissimi*  
**DN.**

**FLEMINGII**

inensi Senatoris dignissimi,  
**SPONSI,**

*Cum*  
genarumq; virtutum ornamentis  
spicua **VIRGINE**

**ETA SCHAUMIA,**

*errimi & Spectabilis*  
**VIRI**

**HIMI SCHAUMII,**

ris & Civis quondam Rei-  
rancofurtensis primarij,  
*u uxoris, relictâ filiâ,*

**SPONSA,**  
**Idus Jul. Anno 1641.**

**BENÆ celebrandis,**  
*omine ac nomine*

**s & Amicis consecratus.**

*typis Michaëlis Kochii.*

59

